



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema V. Cur Ovis Centesima tanti fiat, quanti nonaginta novem?
Dominica III. Post Pentecosten. Dimitit nonaginta novem in deserto, &
vadit ad illiam quæ perierat. Luc. 15 v. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

congregatas effigio, quæ aquilam duodecimam (Judam intellige) tanquam degenerem & spuriam ab hac Mensa abigunt, ceterasque volucres signavas procularcent: *degeneres procul estis aves.* Ex aperto Corporis Dominici latere sacræ Hostiæ profluunt, Aquilarum cui libet in escam, quibus inscribitur: *Cibus sum Grandium.* Ad alterum mensæ latus Genium Regni Catholici colloco, qui pro suis Hispanis loquens Panem Eucharisticum indigit: *bis panis videlicet Hispanis.* ad latus alterum Archiducalis Do-

mnis Genium compono, qui de eodem divinissimo Pane seu *Eucharistia* vetus illud Anagramma refert: *Hic Austria.* Congregemur & nos ad Corpus Dominicum, si regales Aquilæ sumus; manducemus ex hoc Pane, si fieri *Grandes & Domini ab Austro* (ita Salvatorem vocat Habacuc) esse cupimus commeniales.

...
...
...

¶



PROBLEMA V.

Cur Ovis Centesima tanti fiat, quanti nonaginta novem?

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Dimitit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat.

Luc. 15. v. 4.

S. I.
Quæstio-
nis diffi-
cultas per
similitudi-
nes expo-
nitur.



Iad humanæ prudentiae trutinam factum parabolici Pastoris experire velimus, plus illum violenti affectus, quam sani intellectus habuisse deprehendemus, quod desertis nonaginta novem oibus Centesimam inquisitus a bierit, non absque gravi periculo, ne in Pastoris absentia grex totus aut prædonibus in spolium, aut lupis in victimam immolandus dissiperetur. Quis enim prudens institor nonaginta novem aureos relinquit in propatulo, ut centesimum, quem nescio ubi deperdidit, inquirat? quis sapiens belli Imperator in unius cohortis, immo gregarii militis gratiam exercitum universum destituit, furorique hostium cedit in lanienam? quis dynasta centum oppidorum Dominus, ad retinendum ex omnibus unicum cetera deperdere non curat? quin potius ut cetera servet, oppidulum postremum non curat deperdere. mira

mira proinde & imperceptibilis vi-
deri potest incarnatae Sapientiae
quæstio Scribis hodie proposita :
*quis ex vobis homo, qui habet centum
oves, & si perdidit unam, nonne di-
mittit nonaginta novem in deserto,*
*& vadit ad illam, quæ perierat, donec
inveniat eam ?* hæc est Salvatoris
quæstio , cui si ex humano sensu li-
ceat respondere , dicemus n̄ fallor
omnes : nullus ex nobis homo di-
mittit nonaginta novem, quin poti-
ūs cautiūs residuas custodit, n̄ vel
ullam ultrā desperdat. Verūm hæc
ut dixi responso humano desumpta
est ex sensu , alias autem est sensus
Domini, quem quis novit, quis con-
siliarius ejus fuit : *non est enim Sapi-
entia, non est prudentia coram Domi-
no.* exaltatus est (Augustini oratio)
super plenitudinem scientiæ, ut ne-
mo ad eum perveniret. Si tamen
piè curiosum juvat esse , sensum
hunc Domini inquiram, & cur de-
sertis nonaginta novem ovibus cen-
tesima inquisita sit, causam de sensu
meo proferam ; erit hæc *exempla-
ris quæstio* , quia de bono potissi-
mum agetur exemplo.

Tres ceteris ingeniosiores in-
venio sententias, cur à Pastore bono
oves nonaginta novem deferantur,
ut centesima ad gregem adducatur.
Erat videlicet Pastor non minus
chara una ovicula, quām grex uni-
versus, unam ut omnes diligebat ;
Tertulliani hæc est ratio ita scriben-
tis : ergo & una Pastoris ovicula, sed
grex unā charior non erat, una illa
requiritur, pro omnibus desideratur.
Sicut enim Isaac Patriarcha unicum
Ecclesiæ florem tanti fecit, quanti
agrum totum floribus odoratis ple-
num, cùm filio benedicto dixit: ec-
ce odor filii mei sicut odor agri pleni,
propheticis enim Isaaci naribus ut
scribit Petrus Dam. tota præfens
redolebat Ecclesia, cùm super unius
filii sui personam dicebat: ecce o-

dor filii mei sicut odor agri pleni ;
ita Pastor bonus in una sibi compla-
cet ovicula, quasi in gregi universo.
grex unā charior non erat. ingenio-
sè hæc Tertullianus, quem super-
âsse mihi videtur Divus Petrus
Chrysologus sic aureè locutus: *haec*
parabola plus divinæ pietatis quam
consuetudinis humanae loquitur, &
*exprimit veritatem. Magna relin-
quere, amare minora, DEi potestatis*
*est, non cupiditatis humanae, quia DE-
us & quæ non sunt, facit esse, & perdi-
ta sequitur ut teneat quæ relinquunt, &*
amissa sic invenit, ut quæ servata
sunt, non amittat. ergo non terrenus
pastor iste, sed cœlestis. quo loquendi
genere exsufflat Chrysologus ea o-
mnia, quæ initio contra unius ovi-
culæ indagationem protulimus, &
singulare insuper acumine evincit,
indubitate colligi pastorem hunc
plusquam hominem fuisse , quod
pauciora præ pluribus, minora præ
majoribus, sequiora præ meliori-
bus, oviculam unam præ grege to-
to eligat, contrà quām humana so-
let avaritia, magna enim relinquere,
amare minora, DEipotestatis est,
non cupiditatis humanae. Paulò ali-
ter Basilius Seleucus & Divus Cy-
rillus ratiocinantur: quia præcipua
Pastoris laus in eo erat, & totius gre-
gis decus versabatur, quod nulla de-
ficeret ovis, nulla haberetur exclusa,
ideo centesimam deserto grege o-
viculam fuisse indagatam existi-
mant. Cyrillus loquatur: *nunquid*
sæ viens in reliquias, motus est pietate
uniuersi? nequaquam, sunt enim ille in
*toto circumseidente potentissimæ de-
xteræ, sed magis oportebat misereri per-*
*euntis, n̄e imperfecta videretur resi-
dua multitudo, unā enim reducatur*
titur centenarius propriam speciem.
quemadmodum vacuum natura,
ita imperfectum divina horret gra-
tia, sine gratiæ plenitudine grex
mutilus & imperfectus fuisse unicâ

Sancti Pe-
trus Chry-
sologus ser.
168.

Sancti Ba-
silii orat.
26.
Cyrilli in
cat. S.
Thom.

D.

quæ

Problematum P. Philippi Hartung.

Proverb.
21. v. 30.
ex hebreo
Sanctus
Augustinus
in Ps. 17.
v. 11.

§. 2.
Tres ra-
tiones, cur
una ovis
tanti, quâ-
tiones.

Tertulli-
an. lib. de
penit. c. 8.

Gen. 27.
v. 27.
Petrus Da-
mian. lib.
ad Leo-
nem, ep.
c. 5.

quæ omnes impleret numeros deficitæ, quo circa Pastorem querulum ita inducit Basilius: *Ego sum Pastor bonus, venturam ex aliarum salute letitiam unius extinguit existium, & concepta de una tristitia, quod esse potuit de grege toto gaudium accidit. ubi mibi ovis unice chara! ubi gregis decus!* ex quibus Basilius verbis alia mihi occurrit ratio, cur centesima præferatur ceteris omnibus, quia ovis centesima, cum gregis decus fuerit, personam aliquam illustrem & Duce m gregis designabat, certè numerus ipse centesim⁹ centuriatum aliquod caput, puta, centurionem, colonellum, Consulem, Cæsarem connotat, qui licet unus, pro centum, in mille, & centum millibus est; ab ejusmodi namque conversione, totius gregis incolumitas, honor, felicitas, velut à capitib⁹ sanitatem corporis integritas dependet.

§. 3.
Centesima
ovis est fi-
gura con-
versialicu-
jus princi-
pis.

Luc. 23.
v. 47.

Centesima ovis fuit Centurio ille Evangelicus, Caius Cornelius datus, qui clamore morientis Boni Pastoris motus movit exemplum mox suo centenos alios, ut percutientes pectora Christum filium, DEI vivi confiterentur. observavit centesimum hunc boni exempli à centurione datif fructum sacer historicus, qui ubi conversionem enarravit Centurionis: *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit DEUM dicens: verē hic homo justus erat, mox subjungit: & omnis turba eorum, qui simul adspexit aculum istud & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* tantum in omni turba fuit exemplum centurionis! Centesima ovis fuit Capharnaitanus ille Regulus, qui ex resuscitati miraculo filii fidem Christi amplexus, omnem momentum aulam ad eandem traxit devotionem. *Creditit ipse & dominus ejus tota Joann. 4. v. 53. nec*

aula tantum Reguli hujus exemplo, sed alter quoque centurio Capharnaitanæ urbis pro Cæsare Praesidiarius & Regulo familiaris, fidem in Christum concepit, ut Franciscus Lucas adnotat, pariterque thaumaturgam Christi opem pro servo paralytico imploravit Matth. 8. tantum possunt exempla regentum! Ovis centesima fuit custos ille carceris Act. 16. v. 33. & Archisynagogus Act. 18. v. 8. *Crispus autem Archisynagogus creditit Domino cum omni domo sua, & baptizatus est ipse & omnis domus ejus continuò.* Quid multis? centesima ovis Constantinus Magnus Christianorum Cæsarum primus fuit, qui post ter centesimum vicesimum quartum à nato Christo annum baptismate facro ablatus plures pœnæ suo ad idem traxit exemplo, quam suo centenique Oratores eloquio.

Triennio post baptizatum Constantium Magnum, anno vi delicit ter centesimo vigesimo septimo, Rex Iberorum Bacurius in venatione densâ oppressus nebulâ oberrabat ovis instar vagabundæ in Silva, cumque frustrâ idolorum suorum nomina invocasset, Christi tandem Numen implorans, clara mox luce se circumfundi sensit, ad suos redit incolmis, baptismoque suscepito totam Iberorum ad Caucasum nationem Christo subegit. Sic Gallia sub finem sequentis sæculi, anno 499, Clodovei Regis exemplo, qui ut victoriam contrâ Germanos obtineret, baptismum se suscepturnum voverat, votique compos factus cum tribus aulicorum millibus à Sancto Remigio baptisatum acceptarat, Gallia inquam Christianissime sapere cœpit. Sic Auximitæ Indiarum populi seculo quinto, anno seculi quadragesimo primo, Regis Adadi operâ; Sic Persæ seculo sexto, anno quadragesimo pri-

§. 4.
Exemplo
Principum
suorum
pleraque
gentes ad
idem
Christi
sunt con-
verteæ.

primo Cæsaræ Reginæ virtute, sic Saxones seculo septimo, anno octagesimo quinto Widekindi Duci hortatu. Sic Bulgari seculo octavo, anno quadragesimo quinto Bogoris principis industriâ. Sic seculo nono Hungari & Poloni, hi quidem exemplo Miezislai principis, illi Geizæ ducis sui ductu Christianam fidem sunt amplexi. Sic magna Tartarorum pars seculo duodecimo, anno nonagesimo octavo, Christo nomen dedit Regem Cassanum fecuta; hic enim ex filia Armenorum Regis pulcerrima turpissimam prolem suscepserat, ideoque cum prole matrem morti destinarat, verum ubi haec infantulum baptizare permisſa est, ex turpitudinis monstru, in miraculum pulcritudinis infans evasit, suoque parentem decore ad baptismum, & cum parente magnam ut dixi Tartarorum partem illexit. Fuisus haec apud Concionatorum celeberrimum legere, & exempli efficaciam licet admirari.

§. 5.
Conviviu Christus apud con versum Matthæū celebavit ut hujus exemplo aliceret publicas nos.
Quod Salvator noster toto prædicationis suæ triennio paucifimo converterit, obstinatio malorum principum fecit: *nunquid aliquis de principibus credit in eum* Joann. 7. v. 28. credidissent utinam principes, & Salva fuisset iudæa. Refractariis itaque principibus negletis convertit se JESUS ad publicanorum principem Matthæum, potentique oculorum suorum magnetismo ferreum Matthæi cor attraxit & Salutari biverpii fulmine animum publicani fregit: *sequere me.* Et relictis omnibus surgens secutus est eum Luc. 5. v. 28. ingens hoc divinæ misericordiæ fuit prodigium, quod ut gratâ mentis significatione neoconversus pensaret, opiparum Domino apparavit epulum: *fecit ei convivium magnum Levi in domo sua* v. 29. cui JESUS invitatus, non invititus, accubuit, & quamvis principi-

pum odium per hoc incurrendum videret, honori tamen Matthæi tantum detulit, ut convivam (pii instar parentis recepto filio prodigo) agere non dignaretur. Convivii hujus admissi causas pœnè plures proposuere Patres, quām Matthæus fortè fercula apposuerit; placet præ ceteris illa, quam Divus Petrus Chrysologus serm. 29. assignat: *discumbebat JESUS plus in Matthæi mente, quām sigmate: Et epulabatur non cibis, sed redditu peccatoris, ut revocaret convivio, colloquio, humanitatis affectu, dulcissimâ sua confabulatione discubentes.* Egit Christus in Matthæi convivio acupem animarum, quemadmodum auceps escas in area dispergit, & illucem avem apponit, ut aviculas ad vocet, inescet, irretiat; ita Salvator noster, ut peccatores caperet ad salutem, escas quidem permisit corporibus, sed escas simul dulcissimi super mel & favum colloquii apposuit mentibus, Matthæo insuper usus ut illice, cuius exemplo plures alii peccatores ad salutarem penitentiam inescarentur, secundissimo quem ipse Matthæus testatur successu: *Et factum est discubente eo in domo, ecce multi publicani Et peccatores venientes discumbebant cum JESU.* Exemplum Matthæi peccatoribus animos ad resipiscientiam addiderat, ut præclarè Paschafius observat: *unius peccatoris conversio multis exemplum præbuit penitentie,* Et in domo, ad quam prius multos secum propter lucra conduxerat, ad veniam invitatum. Multos è cœno viatorum Matthæi exemplo traxit CHRISTUS in odorem unguentorum suorum.

§. 6.
Sponsæ in Canticis exemplum quām efficax.
Audio Cant. 1. v. 4. balantem ovem centesimam (nisi columbam potius odoriferam vocare malimus, quæ suâ columbas ceteras attractat sive volentia:) *trabe me post te,*

D 2

Matth. 9.
v. 10.Sanctus
Paschafius
lib. 5. ix
Matth.

te, curremus in odorem unguentorum tuorum. trahi se solam postulat, & solam se nequaquam fore pollicetur: curremus. nunquid sponsa indiget trahi (mellei acumen est Abbatis ferm. 21.) adolescentula non indigent? o pulchra! o felix! o beata! edificere nobis hujus distinctionis rationem. nunquid majorem charitatem adolescentula habent, ut ipse non indigant trahi, sed sola sponsa? quærenti Bernardo respondet Sponsa: non currat ego sola, et si solam me trahi pectorim, current adolescentula mecum, curremus pariter, curremus simul; ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatae exemplo atque hortatu. ac per hoc omnes in odorem unguentorum tuorum curremus. tanta vis est exempli!

S. 7.
Orandum
pro prin-
cipibus seu
Capitibus
Reipublicarum.

Patet proinde quâm bene optimus Pastor egerit centesimam requirendo oviculam, in qua totius gregis decus & Salutem reperiundam sciebat. Ex quo discant centuriata & coronata populorum capita, quanta iisdem incumbat necessitas, vocem Pastoris boni exaudiendi, ejusdemque sequendi vestigia, nè grex subditorum universus à via salutis aberret, & à pascuis vitae excludatur. Quare nos qui subditi sumus & gregalium ovium figuram gerimus, pro centesima ove, capitibus inquam seu præsidibus familieæ, Reipublicæ, Regni, Imperiive Pastorem bonum assidue deprecemur, nè exerrare eosdem unquam permittat, sed conservet,

vivificet, beatosque faciat in terra, nec tradat eos in manus inimicorum, sed divinis suis gestet in humeris, ferat in oculis, includat cordi omnes illos, qui multum possunt saluti animarum & decori gregis Dominici suo prodesse vel obesse, exemplo.

Problematis hodierni Corona sit Regina Concharum, quam ceteræ omnes, quodquod vergat sequuntur; ita ut unâ hac captâ, sine labore capiantur universæ: *integritas præcedentium, salus subditorum.* Item Regem Apum, quo intra sacram concluso examen totum captivatur: *ubi Rex, ibi grex.* vel ponamus Rotam primam in Horologio, quæ suo rotas ceteras commovet motu: *non sola movetur.* Serpentem quoque fingamus omni studio saluti Capitis sui incumbentem: *una salus.* Si Caput fuerit infirmum, inquietabat cum Innocentio 3. Pontifice Bernardus Abbas, totum corpus languidum erit. Ego semper Caput peto, dicebat Georgius Scanderbegus, victoriarum tantarum causam rogatus, Capite enim sublatu robur militaris Corporis evanescit; nec victoria est facilior quâm cum truncato Holoferne exercitus invaditur. Attendat, quisquis in politico vel ecclesiastico corpore Caput est, ut capite sit sano, nè omnia membrorum flagitia, & illa quidem capitalia, in suum redundant caput.

PRO-

